



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 78. Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis lata in secundam Arnaldi epistolam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

juxta Episcoporum judicium quinque Sæc. XVII.
 propositiones in sensu Jansenii, & ut A. C. 1655.
 in ejus libris contentas damnet: Ad
 hæc scripta Arnaldus mox respondit,
 atque apposito suo nomine prolixiorem
 edidit epistolam sub hoc titulo: *Arnaldi*
Doctoris Sorbonici ad quemdam Ducem &
Franciæ Patrem epistola secunda, qua plu-
ribus respondetur scriptis contra primam
ejus epistolam evulgatis circa ea, quæ cui-
dam Aulico in Parisina quadam Parochia
contigerunt, data ex Portu Regio in Cam-
pis die decima Julii anno 1655.

§. LXXVIII.

Censura Facultatis Theologicæ Pari-
siensis lata in secundam Ar-
naldi epistolam.

Cum autem Theologorum non pauci Hist. des
 in secunda hac Arnaldi epistola Jan- cing propof.
 senii librum a Papa & Franciæ Episco- l. 2. p. 89.
 pis proscriptum palam defendi crede-
 rent, eandem die quarta Novembris a-
 pud Dionysium Guyart Facultatis Syn-
 dicum, quem Jansenianæ doctrinæ ho-
 stem, & Corneti olim Syndici necnon
 Jesuitarum mancipium fuisse dicunt,
 denuntiarunt. Hic ergo die quarta
 Mensis Novembris hoc anno in comitiis
 sacræ Facultatis Theologicæ retulit,
 „hac in epistola a viris doctis & piis

• Sæc. XVII „quædam notari, quæ tum summi Pontificis & Episcoporum auctoritati adversarentur, tum etiam cum fide Catholica & decretis Facultatis pugnant. Huic rei ut mature ac leniter provideret Facultas, Epistolæ illius legendæ & examinandæ curam commisit sex e Sapientissimis Sorbonæ Magistris necnon Decano & Syndico. Hi quidem, cum per mensem Novembrem eam in rem sedulo & diligenter incubuissent, atque inter se diu ac multum contulissent, prima die mensis Decembris ejusdem anni 1655. in Generalibus Comitiis, Facultati retulerunt, illa in Epistola inter alia reprehensione dignissima, ea se præsertim observasse, quæ perspicuitatis & compendii causa reduci posse viderentur ad duo capita, sive ad duas quæstiones vel propositiones, quarum altera diceretur facti, altera juris, prioremque illam his contineri verbis: *Patet ex ipso hujus*

Pag. 49.

judicio humilitas & amicorum suorum moderatio, eoquod hi nil nisi puram D. Augustini doctrinam propugnassent, non autem propositiones damnatas, quas constanter reputarunt obtrusas ab illis, qui opinionibus doctrinis Magni hujus Doctoris contrarias propugnant.

Pag. 130.

Quare autem, inquiunt illi, duæ apertè pro Jansenio fuerunt confectæ?

ideo factum, quia Dei & Ecclesiae honorem in discrimen vocari creditum, si toleraretur, ut sub Jansenii nomine in publicis cathedris immotissima caelestis doctrinae Divi Augustini dogmata tanquam impietates & haereses traducantur, illaque per spuriorum Conciliorum anathemata, & crassissimas Historiae Ecclesiasticae ignorantias, necnon per S. Paginae textus aut in verbis falsificatos, aut in sensibus depravatos impugnentur, & denique variae haereses & errores imputentur cuidam Episcopo, qui tamen ab iis alienissimus erat.

Quis adeo inique sentiat, ut illi, qui sedulo quemdam librum pervolverunt, & in illo propositiones Catholico Authori post eius obitum adscriptas & in Pontificis Constitutione notatas non reppererunt, eas tamen ibi reperiri, profiteri teneantur, & licet illas aliunde damnent, in quocunque demum libro fors reperirentur, nihilominus pro haereticis, excommunicatis, & ab Ecclesia segregatis jure haberi valeant, perinde ac si quaestio facti, cujus testes sunt hominum oculi, fidei articulus esse posset, qui non nisi revelationi Divinae innititur: quo jure Catholici Doctores haeresis accusari poterunt, qui omnia, quae in praesata Constitutione fidem respiciunt, amplectuntur, & circa hanc quaestionem facti non sunt pertinaces, sed cedere parati, quamprimum eis haec propositiones in libro, ex quo decerptae dicuntur,

Sæc. XVII.
A. C. 1655.

Sæc. XVII. tur, ostensæ fuerint, quod facillimum foret, si reipsa exin fuissent desumptæ, seu
A. C. 1655. autem impossibile; quinimo etsi hi Theologi in hac quæstione facti errarent, non tamen propterea essent hæretici, aut a fide Ecclesiæ alieni, sed forte non tam bene oculati Grammatici, ac fuerunt illi, qui has propositiones in hoc libro conspexerunt, idem quoque Arnaldus in sua epistola Pag. 152. repetiisse dicebatur, eundem versum circa quæstionem juris errasse, collegat Syndicus ex sequenti propositione. Si Molinæ Discipulis credimus, in Calixtina hæresin illico degeneravit luculenta illa veritas per Evangelium stabilita, & comprobata per Sanctos Patres, qui in D. Patro exhibent justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, desuit in ea occasione, in qua eum non peccasse, haud dici potest.

Pag. 226.

His ita relatis Syndicus petiit, ut Facultas quosdam nominaret Doctores qui has propositiones discuterent: Huius tamen oblitit Sant. Amoreus, exhibens Arnaldi literas die vigesima septima Augusti ad Pontificem datas, in quibus hic innocentiam suam vindicasset, suamque epistolam Sedis Apostolicæ judicio subiecisset, hæque literæ Pontifici die vigesima quarta Septembris fuissent traditæ: Censebat Decanus, alique Doctores, expectandum esse Pontificis responsum, prævaluit tamen opinio

opinio ceterorum, qui alteram hanc Ar- Sæc. XVII.
 noldi epistolam esse examinandam pro- A. C. 1655.
 nuntiarunt, hinc Facultas eam in rem
 Chapelasium, Cornetum, Monachum,
 Bredam, Bailium, Patrem Nicolai
 Dominicanum, & Facultatis Decanum
 ac Syndicum nominabat: Adversus
 hoc Facultatis decretum & nominatos
 Doctores Sant - Amoreus, pluresque
 alii Doctores die decima sexta ejusdem
 Mensis ad Parlamentum provocarunt,
 supplices, ut Facultas epistolæ examen,
 donec desuper Parlamentum decidisset,
 suspenderet, simulque illud Curix
 decretum, quo cautum, ne ex Men-
 dicantium Ordinibus plures Doctores,
 quam duo ex quolibet Ordine suffragio
 deliberativo gauderent, executioni da-
 retur. Præterea Castellenius, alique
 plures Guyarti Syndici electionem irri-
 tam declarari petebant. Ita Arnaldi
 fautores pro impediendo epistolæ exa-
 mine omnibus cuniculis Facultatem
 Pontificiæ Constitutioni propitiam op-
 pugnarunt: nihilominus die vigesima
 nona Novembris Regio decreto sancitum,
 ut nulla mora nominati Doctores
 alteram Arnaldi epistolam discute-
 rent, ac in proximo Sorbonæ Conventu,
 cui etiam Iffalii (seu Arnaldi) fautores,
 si eis bene visum fuerit, interesse pote-
 rint, desuper referant: Ordinum vero
 Men-

Sæc. XVII. Mendicantium Doctores in Curia com
 A. C. 1655. parerent, decernenda percepturi:

Discussa igitur mature Arnaldi epistolâ, nominati Doctores in comitiis die prima Decembris, quæ de prælati epistola censerent, refererent. Burgoius autem Sorbonæ Doctor alias eisdem Arnaldi literas recitari petiit, quibus hic palam profitebatur, quod *Facultatem tanquam Matrem suam veneratur, audiri tamen, sibi que ea, quæ ceteris digna crederentur, exhiberi possent.* Sequenti die omnes Doctores in Sorbonæ aula convenerant, præ ceteris vero Sant-Amoreus, Ordinum Mendicantium Doctores præscriptum numerum excedentes excludi petiit; quoniam vero hi ad Curiam non fuissent vocati pro in aviti juris sui possessione relicta hujus oppositionis nulla habita est ratio, sed Capellanus ea, quæ in Arnaldi epistola tam circa quæstiones facti, quam juris perstringenda essent, tulit, quibus perceptis sacra Facultas post accuratam disquisitionem tandem decrevit, priorem illam quæstionem sive propositionem, quæ est facti, esse **TEMERARIAM, SCANDALOSAM, INJURIOSAM SUMMO PONTIFICI ET EPISCOPIS GALLIÆ, ATQUE ETIAM PRÆBERE OCCASIONEM RENOVANDÆ EX INTEGRO POST DAM-**

DAMNATIONEM JANSENI DO-
CTRINÆ. Sæc. XVII.
A. C. 1655.

Præterea Lelcotus Carnutensis Episcopus Jansenii librum afferri jussit, cum aliis Doctoribus declarans, ostensurum se, quod omnes quinque propositiones in hoc libro continerentur, verum Arnaldi fautores Episcopum præpedierunt.

Circa alteram vero propositionem, quæ juris dicebatur, Facultas pronuntiabat, *eam esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam.* Abrege de l'Hist. Eccl. t. II. p. 344.

Postea unanimi suffragio a Facultate decretum, ut Arnaldus ad comitia die septima Decembris celebranda accederet, suamque mentem *candide, simpliciter sine ambagibus & disputatione* explicaret, seque Facultatis judicio ad hæsurum profiteretur. Arnaldus tamen non comparuit.

§. LXXIX.

Ulterior Facultatis deliberatio circa primam Arnaldi propositionem.

Præstituta die Sant-Amoreus epistola protulit, qua Arnaldus plenam Facultati submissionem spondebat: De- i. 2. p. 96. *Hist. des cinq. propos.*
 canus igitur primam Arnaldi propositionem discuti jussit, ubi vero quidam Doctor etiam in libro Jansenii omnes quin-